

normam continuo esset directa. Noverat bene hanc doctrinam Cassianus (*lib. coll. 2. cap. 10*), cum dixit: *Vera discretio non nisi vera humilitate conquiritur, cuius humilitatis haec est prima probatio; qui universa, non solum quas agenda sunt, sed etiam, quae cogitantur, seniorum scrutentur examina, ut nihil quis suo iudicio credens, illorum per omnia definitioibus acquiescat, et quid bonum, vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoscat.* Discretio, quae hac rectitudinis conditione caruerit, nedum haud laudabilis, sed ut maxime damnablem reputatur a patribus. Celebratur autem discretio, et prudentia virginis ex eminentia quoque seu celsitudine, quia, sicut nasus praecernit universis membris, et sicut turris reliquis aedificiis, ita b. Virginis discretio, et prudentia, discretioni, et prudentiae omnium sanctorum superior extitit. Unde, sicut olim Hebraei ad insignem illam foeminam Deborah, tanquam ad oraculum, in rebus arduis confugiebant, non secus apostoli ad beatam Virginem, tanquam ad insignem magistrum, et doctricem, ut in obscuris illuminarentur, et in dubiis edocerentur, frequenter confluebant, ut ex d. Bernardo supra ostenditur. Deinde commendatur discretio Virginis, quod sicut existens in erecta turri; quae inferius sunt, diiudicat, et inimicos ab amicis discernit, ita b. Virginis discretio lupos agnoscit pelle indutos ab agnis ovillis, cutus pastor Dominus erat, facillime discernbat; quod enim multis sanelis concessum fuit ad tempus, et in intima cordium aedium penetrarent, id post Christi conceptionem pro totum vitae suae tempus Virgini fuisse denegatum, verosimile mihi non est. Tandem beatae Virginis discretio eo praesertim extollitur encomio, quod sicut turris in altum erecta formidare compellit hostes, ita b. Virginis discretio hostibus humani generis melos inculit; haec enim ratione specialiter comparavit illam sponsus turri Libani, quae respiciebat contra Damascum: nam, ut interpretes huius loci adnotant, turris illa aedificata erat ad excubias faciendas contra Damascenos, et Syrios, quae e Damasco totius Syriae capite Iudaeam infestabant, ut non obscure etiam colligitur (*ex lib. 4. Reg. cap. 24*). Nominem autem Damasci daemones apertè intelligi ex eo aperte constat, quod Damascus interpretatur *sanguinis potus*: vel ut alii volunt, *sanguinis osculum*; est autem manifestum daemones animarum nostrarum sanguinis sitientissimos esse, adeo ut Iob (*c. 40*) diceret: *Absorbebit fluxum, et non mirabitur, et habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.* Nec id quod, tanquam difficile, et arduum propter nimiam daemonis insolentiam, proposuit Deus Iob, dicens: *Namquid illud ei, quasi avis, aut lipasium omne ancillis tuis?* quasi diceret: minime id poteris, id tamen revera potuit illa una ancilla, quae dixit: *Ecce ancilla Domini, facti mihi secundum verbum tuum:* illa enim non solum compressit daemones, et illum alligavit, sed et caput eius ad maiorem Christi gloriam contrivit. Qui cum Patre, etc.

## HOMILIA XV.

*Agitur de obedientia, et gratitudine, quam praestare debent parentibus filii, ad exemplum Christi Domini, qui matri suae et obedientissimus, et gratissimus semper extitit; in illa verba: Et erat subditus illis.*

Tanquam inauditum portentum referant divina eloquia solare astrum obediens imperio Iosue, ita ut illo inbente, ne cursum suum ultra pergeret, continuo immotus persisterit: *Sol contra Gabaonem ne moveris, et luna contra vallem Ayalon: steteruntque sol, et luna.* Verum, si ad verba, quae sacer Evangelista refert (*Luc. 2*): *Subditus erat illis, mentis aciem convertamus, aliud in eis portentosum magis prodigium detegemus, nimirum, quod Sol iustitiae, non pura creatura, sed Deus ipse imperio Virginis incontinentem parebat; quod excellentius multo esse quam illud ex multiplici capite deprehendo. Primo, quia obedientia illa, quam sol exhibuit Iosue, metaphorica erat, cum expertus esset ratio; ad quam praestitit Iesus Mariae, vera obedientia fuit, et omnium perfectissima: cum enim ipse legem tulisset filiis de obediendo parentibus, ipse etiam eandem exacte implevit, ne alioquin sibi diceretur: *patere legem quam tulisti*: unde dicitur: *digna vox est maiestate regnantis legibus alligatum se Principem confiteri.* Verum in Christo multo id dignius, ad exemplum profundae humilitatis, et inauditae obedientiae inobediendi mundo exhibendum. Nam si tanto maior, et commendabilior est obedientia, et humilitas, quanto dignior, et excellentior persona, quae subicitur, et obedit; quanta quaeso erit Christi obedientia mirabilior, cuius dignitas, et maiestas agnoscitur esse infinita? *subditus erat illis*, ait Evang. sed si interrogos, quis est iste subditus? respondet Pater de coelo (*Luc. 9*): *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit*; quis iste subditus? respondet angelus: *qui filius Altissimi vocabitur*, et: *qui regnabit in domo Iacob in aeternum, cuius regni non erit finis*; quis iste subditus? respondet Michael: *Cuius egressus a diebus aeternitatis*; quis iste subditus? respondet Isaias: *Princeps pacis, admirabilis, magni consilii angelus.* Dic tu etiam Daniel, quis iste subditus? qui in coelo ministrant milia millium, et decies centena milia assistunt ei. Dic David, quis iste subditus? *Cuius est terra, et plenitudo eius, orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo; rex gloriae, et Dominus virtutum, Dominus fortis, et potens.* Dic Iudith, quis est iste subditus? *Deus caelorum, Creator omnium, et Dominus totius creaturae.* Dic Ioannes, quis iste subditus, respondet: *qui in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Dic Paule, quis iste subditus? in cuius nomine omne genuflectitur, coelestium, terrestrium, et infernorum. Dic Ecclesia, quis iste subditus? Respondet:*

*Quem ferra, pontus, aethera  
Colunt, adorant, praedicant: et ibid.  
Cui luca, sol, et omnia,  
Deserviunt per tempora.*

Et cui tres Magi procedentes Regem, eundemque Deum certis muneribus confessi adoraverunt.

Secundo fuit hoc obedientiae Christi prodigium excellentius illo, quia si dignitas, et auctoritas Iosue in omnium opinione crevit ex eo, quod sol voci eius obediret, incompatibiliter multo magis crevit dignitas, et auctoritas Virginis ex eo quod ipsum Deum haberet sibi obedientem: ex huiusmodi enim Christi subiectione necesse erat, ut in Maria conurgeret quaedam maioritatis, et superioritatis excellentia supra illum, qualis competi omnibus superioribus respectu suorum inferiorum, et subditorum, cuius praerogativae tanta esse sublimitas, ut potiori iure, quam Hercules colummis, et affigi possit illud epythium: *Non plus ultra*, cum intra latitudinem imperii nihil ultra gloriosius dici, aut excogitari possit; quam principari, et dominari super ipsummet Deum, subditumque sibi illum habere: *subditus erat illis.* Et quamvis quispiam possit existimare, non id proprium esse Virginis, sed commune cum Iosepho, cui etiam Iesus obediebat, ut ait Evangelista, aliter tamen se res habet, quia b. Virgo titulo, et iure maternitatis, propter humanam substantiam, quam per veram generationem contulit filio, superioritatem habebat in illum, Ioseph vero, non iure sanguinis, sed affinitatis tantum, quatenus vir erat Virginis, et pater Christi dumtaxat putativus, hoc est pater Christi non re, sed secundam falsam hominum estimationem, iuxta illud (*Luc. 3*): *Putabatur filius Ioseph.*

Tertio, quia cum Christus Dominus subditus, et obediens esset Virgini, perfectique obedientis sit, voluntatem superioris in omnibus, quae non deviant a divinis, et ecclesiasticis legibus, tanquam regulam suarum actionum sibi assumere: consequens est, Christum Dominum, qui virtute obedientiae omnes longe praecellit, voluntatem Virginis sibi proposuisse, tanquam normam suarum actionum. Quid autem quaeso sublimius in commendationem eximiae sanctitatis et excellentiae b. Virginis dici potest, quam ut ille, qui est prima regula, et per essentiam indefectibilis, in suis actionibus voluntatem Virginis velut eorum regulam sibi constitueret, per quam, tanquam perfectissimus obediens, illas regularet? Hanc tantam Virginis celsitudinem licet alioquin ineffabilem, celebri tamen, ac memorando quodam Alexandri dicto possumus, quantum non pro dignitate, in hunc modum illustrare; Plut. de Alex. fortuna refert quod cum magnus hic Monarcha Diogenem quadam die vislaret, observans in eo loquelae prudentiam, vultus modestiam, doctrinae integritatem, vitae etiam probitatem, ac morum compositionem, in summam admirationem raptus, obstupuit, continuoque in illa verba prorupit: *Nisi essem Alexander, Diogenes esse vellem.* Li-CARTHAGENA de B. M. V.—Vol. II.

ceat mihi, fratres, prophana haec in sacra convertere. Certè, cum divinus Alexander, Christus Dominus b. Virginem invisit, et per incarnationem in utero eius requievit, insignem eius modestiam, vultus verecundiam, inauditam prudentiam, totiusque interioris, et exterioris hominis miram compositionem, ac coelestis vitae eximiam probitatem observans, si ita fas est dicere, obstupuit Virginis vita, et gravitate, potiusnisi dicere potiori iure, quam Alexander: nisi essem Deus, Mariam esse vellem.

Rursus, sicut nulla unquam fuit filii erga matrem obedientia excellentior, ac perfectior illa, quam Christus Dominus matri suae praestitit, ita et gratitudo, quam ob beneficia ab ea accepta eidem exhibuit, omnium aliorum gratitudinem erga parentes longo intervallo superavit. Salomon (*Ecl. 7*) monens filios gratos se exhibere parentibus: *In toto*, inquit, *corde tuo honora patrem tuum, et gemitis matris tuae ne obliviscaris; memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis, quomodo illi tibi, graecus interpres vertit; et quid reddes illis, sicut illi tibi?* Tyburcina vero lectio, et Pagninus transferunt: *Et quid reddes eis pro eo, quod de te sunt meriti?* Quibus translationibus congruit id, quod iam quasi in proverbium abiit illud Aristotelis (*9. Ethic.*): *Dis, parentibus, et magistris non potest reddi aequivalens.* In hoc ergo mirifice superavit gratitudo Christi Domini erga genitricem suam gratitudinem omnium filiorum erga proprias matres, quod illi non valent esse rependere aequale, Christus autem Dominus non solum pari pari, sed maius quidpiam rependit Virgini, quia ipse solus ad unquam observavit illud: *Retribue illis, quomodo et illi tibi.* Alii filii accipientes propriam substantiam et vitam a matribus, non possunt eiusdem substantiam, et vitam, quae matres ipsae vivunt, conferre: Iesus carnem, et vitam humanam a matre accepit, ut ait d. Math. *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*; ipse autem, tanquam verus Virginis creator, corpus, sanguinem, et animam ei dedit, et eandem semper conservabat. Unde b. Virgo inquit (*Ecl. 24*): *Qui creavit me, requiescit in tabernaculo meo: et ubi nostra vulgata (Prov. 8) ait: Dominus possedit me, septuaginta legunt: Dominus condidit me: immo, et d. Epiphanius vertit: Dominus, instar pulli, excudit me.* Ecce quomodo filius retribuit matri, sicut illa tribuit ei. Maria, instar pulli, excudit Christum, infantem illum pariendo; et Iesus excidit, instar pulli, matrem suam, illam creando, in qua sane anticipata retributione non solum aequavit, sed superavit acceptum a matre: acceptat enim ab ea corpus, animam vero non fecerat ipsa; ad ipse contulit ei corpus, et animam, quam ipse creaverat. Insuper etiam Virgo dedit filio corpus mortale, et inglorium, ipse vero donavit matri, in die assumptionis corpus immortalè, et gloriosum. Ac tandem mater dedit filio esse naturale, filius vero matri esse supernaturalè, et consors naturae divinae; atque hinc arbitror, quod licet alioquin alii filii non possunt parentibus reddere aequale, praevidens

tamen Spiritus sanctus Filium Dei humanam carnem assumpturum, et veram matrem habiturum, ad illum praecepit dixit illa verba: *Retribue illis, quomodo et illi tibi*: quia ipse solus poterat parentibus suis Mariae, et Iosepho reddere aequale, et retribuere illis, prout revera retribuisti, non solum quomodo illi, sed exuberantius multo, quam ab ipsis fuerat ei tributum. Porro iam ad mores nostros componendos haec omnia convertens, d. Chrys. d. Bonav. s. Aug. Beda, Euthym. Aym. Theophyl. et alii (*super c. 2. Luc.*) ab hoc Christi exemplo monent, filios parentibus obedientiam praestare, et honorem impendere debere. Brevitatis tamen causa solus d. Aug. et Ambr. ex aliis locis multa testimonia in medium producunt. In primis d. August. (*conc. 1. super Psal. 70. tom. 8.*) insigne proponit obedientiae exemplum in haec verba: *Titulus huius psalmi est: Ipsi David filiorum Ionadab, Ionadab homo fuit quidam commendatus nobis ex propheta Ieremia, qui filiis suis praeceperat, ut vinum non biberent, neque in domibus residerent, sed in tabernaculis habitarent. Praeceptum autem patris filii tenuerunt, et servaverunt, et ex hoc benedicti a Domino meruerunt; Dominus autem hoc non praeceperat, sed pater ipsorum: ipsi autem hoc acceperunt, tanquam praeceptum a Domino Deo suo; quia, et si Dominus non praeceperat, ut vinum non biberent, praeceperat, ut filii parentibus obedirent. In ea ergo re sola filius non debet obedire patri suo, si quid pater ipsius iusserit contra Dominum. Neque enim debet irasci pater, quod sic ei praeponitur Deus; ubi enim hoc iubet pater, quod contra Dominum non sit, sic audiendus est, quomodo Deus; quia obedire patri, iussit Deus. Benedixit ergo Deus filios Ionadab propter obedientiam. Atque hoc facit illud, quod legitur Pharaonem praecepisse obstetricibus Hebraeorum (*Exod. 20*): Quando tempus partus advenit, si masculus fuerit, interficite eum. Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt iuxta praeceptum regis Aegypti, sed conservabant mores. Plurim fecerunt haec gentiles mulieres mandatum Dei, quam regis, et magis timuerunt Deum, quam damnum, quod illis rex inferre poterat propter imperit transgressionem; et contra certe video nunc faciliari: praecipit iudici saeculari Ecclesia, et dimittit clericum, vel immunitatem aliam similem servet, excommunicatis laculo eum ferit, pulsantur campanae, obmutescunt divinae laudes, cruceo nigro velo teguntur, et adhuc index contumax est, et rebellis. Sed ecce a supremo aliquo saeculari senatu mandatum ei exhibetur, quo illi praecipitur, ut contumaciam deponat, et immunitatem Ecclesiae servet, et continuo obediat. Ecce isle pluris facit mandatum hominis, quam Ecclesiae: ad nutum obsecundat Senatui regio, praeceptum autem Ecclesiae despiciat. Laudo primum, quia potestabilibus sublimioribus obediendum est, ut praecipit Apostolus (*ad Rom. 13*). Sed secundum valde vituperat, detestor multum, excoror supra modum. Cum enim Christus Dominus dixit (*Matth. 11*): Tollite iugum meum super vos, non solum significare voluit, ut iugum divi-*

nae legis super collum nostrum imponamus, sed ut illam saltem etiam veneremur, ut super capita nostra illam constituamus. Index autem, qui mandatis principis obediens, Ecclesiae praecepta contemnit, hic iugum divinae legis non ponit supra se, sed infra se: hic pedibus suis divina mandata conculcat, humana super caput extollit: hic convinctur possessio esse diaboli, non Dei: nam qui Dei possessio est, confidenter dicere potest, quod Augustinus (*in com. Ps. 118*) sapienter dixit: *Non leviter transcendendum est, quod ait sanctus David: tuus sum ego: quid non est Dei? Cum a tibi ipse dicat: Domini est terra, et plenitudo eius. Quid est ergo, quod iste ita quodam modo familiari se Deo commendandum putavit, ut diceret: tuus sum ego, salvum me fac, nisi intelligi volens, quod malus malo suo esse voluerit? quod est inobedientiae primum, et maxime malum, et tanquam dicens: meus esse volui, et perditum me feci. Sed sanctus David: tuus sum ego, inquit, salvum me fac, quia iustificationes tuas exquisivi; non voluntates meas, quibus fui meus, sed iustificationes tuas, ut essem iam tuus. Corte Deus non praecepit nostra, sed nos vult, ut Paulus (*2 ad Cor. 11*) scribens, docet, dicens: *Non quae vestra sunt, sed vos quaerimus. Quinlus Fabius Maximus, Romanorum imperator, cum ad eum auri, et argenti munera per legatos ex quadam provincia civem misissent, ut illum placarent, respondit: Populus Romanus non aurum, sed dominos, ac possessores auri sub suo vult esse dominio; quos universorum Imperator Deus, non nostra, sed nos quaerit: animas da mihi, cetera tolle tibi. Sed proh dolor, quam pauci sunt, qui verba illa Davidis dicere possint Deo: tuus sum ego. Expendit hoc egregie divus Ambrosius (*in com. eius. loc.*) dum inquit: *Facilis vox, et communis haec videtur: tuus sum ego; sed paucorum est, qui Deo dicere possint: tuus sum ego: ille enim hoc dicit, qui obhaeret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non novit. Ille haec voce utitur, qui potest dicere: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Numquid haec voce utitur avidus pecuniae, honoris, potestatis? Multis non est satis, Deum scire, et quod tanti populi, tantae nationes, tanti divites paupertatem putant Domino servire, et qui supra omnes est, illis exigunt, et angustus est: illis non satis est Dei Filius, in quo sunt omnia: ille dives, cui in evangelio dictum est: Si vis perfectus esse, vende et vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et sequere me, Deum sibi sufficere non iudicavit. Siquidem, ut ait sacer textus, contristatus est, quasi plus esset, quod relinquere iuberetur, quam quod praecipiebatur eligere. Ille ergo solum dicere potest: tuus sum ego, qui dicere potest; et non religiosus omnia, et secuti sumus te. Haec verba Apostolorum sunt, non tamen omnium Apostolorum: nam et Iudas Apostolus fuit, et in concilio inter Apostolos Christi recumbentem, dicebat et ipse: tuus sum ego; sed voce tantum, et non corde; venit enim, et intravit in eum satanas, et cepit dicere: non est iste tuus, o***

*Iesu, sed meus: nam iste, quae mea sunt, cogitat, quae mea sunt, pectore suo volvit, tecum epulatur, tecum bibit; et mihi tuum sanguinem vendidit: tuus est Apostolus, et meus est mercenarius. Non potest dicere saecularis: tuus sum, plures enim dominos habet. Venit libido, et dicit: meus es, quia ea, quae sunt corporis concupiscis, in illius adolescentulæ amore te mihi vindicasti. Venit avaritia, et dicit: argentum, et aurum, quod habes, servitius tuus pretium est, possessio, quam tenes, venditio libertatis tuae est. Venit gula, et dicit: meus es, quia unius diei concivium pretium vitae tuae est. Veniunt denique omnia vitia, et singula ei dicunt: meus es. Quem igitur tam multi reptant, vile mancipium est, quomodo ergo tu, qui huiusmodi es, poteris Christo dicere: tuus sum ego? respondet ille: nolo habere servum pluribus dominis servientem? Nam quomodo meus es, si verbis mihi dicas: tuus sum, operibus autem meipsum neges? Non est meus, quem libido succendit, quia mea castitas est: non est meus, quem spoliandi minores desiderium exagitat, quia mea est largitas: non est meus, quem aura mobilis inquietat, quia mea est tranquillitas: non est Christi, nisi qui alienus est a crimine; et ideo regius vates, ut ostenderet, qua ratione quis dicere potest Christo Domino: tuus sum ego, adiungit: iustificationes tuas exquisivi: quasi dicat: Ille vero tuus est, qui nihil aliud extra te quaerit; solum quaerit iustificationes tuas, iudex mandata tua perficere; haec beatus Ambrosius.*

Ad extremum, ad honorem, et gratitudinem, quam filii ad imitationem Christi Domini, parentibus exhibere debent, accedamus. Ex Gentilibus haec pauca subiungam. Pytaeus admonens cuiusdam hominis filium, ne cum patre in iudicio litigaret, dixit illi: *Si de patre iniquiora dixeris, damnaberis; si aequiora, vel ob istud damnari dignus es. Et sapientissimus Plato cum vidisset quandam erga patrem suum fastuosius agere: Non sines, inquit, adolescens illud contemnerem, cuius gratia altum sapere vis? Et Alexander ille magnus, ut refert Plutarchus in eius vita, tanti faciebat honorem, et obedientiam erga matrem, ut cum ei quidpiam grave nimis faceretur imperaret, non ausus eius imperio non acquiescere, solum ei dixit: *Acerbam pro novem mensium onere mercedem exigis. Verum in hoc genere argumenti divus Ambrosius (l. 3. exameron c. 16) animantia ipsa nobis proponit, quae congenita quadam pietate parentibus suis obsequuntur, a quibus indignum esset, homines rationis compotes sperari: verba illius haec sunt: *Quan vero rationabilium excedat pietatem avis huius clementiam, considerandum, loquitur de ciconia, nam depositi patris arcus per longaevis senectutis, plumarum tegmine, alarumque remigio nudatos circumstant soboles penitis propriis foet: quid dicam? collecto cibo pascit; quando ipsa etiam reparat naturae dispendia, ut hinc, atque inde subleantes senem fulero alarum suarum ad volandum exerceat, et in pristinos usus disueta iam revocet pii patris membra? quis nostrum levare aegrum non fastidiat patrem? quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ip-***

*sa historia viri creditur habebat? quis, ut pius sit, non hoc servilis mandat obsequium? Ad vero avibus non est graec, quod pietatis est plenum: non est onerosum, quod sollicitatur naturae debito: non recusant aves pascere patrem, quod etiam praescripta necessitate sub terrore poenarum plerique hominum recusantur. Aves non scripta, sed nata lex stringit: aces ad hoc munus nullo praepropto conveniunt; sed gratiae naturalis officio: aces non erubescunt reverendi senis membra portare, est enim victoria pietatis, quod eo usque frequentis testificatione percrebit, ut congruae mercedem remunerationis invenereit. Nam Romanorum usu pia avis vocatur, et quod via uni imperatori consulto senatus delatum dicitur, haec istae aves in communem meruerunt. Habent ergo aves istae decreta patrum ad propriae insigne clementiae; pios enim filios, patrum prius oportuit iudicio praedicari; haec ille. Exemplum refert Valerius Maximus (lib. 3) huic argumento satis accommodatum. Sanguinis ingenium mulierem praetor quidam ad tribunal suum capitalem crimine damnatam, triumpho in carcere necandam tradidit, quam receptam is, qui custodiam praerant, misericordia motus, non profinus strangulavit, aditum quoque ad eam filiae suae, sed diligenter excussae, ne quid ibi inferret, existans futurum, ut inedia consumeretur. Cum autem plures iam dies incederent, secum ipse quaerens, quidam esset, quod tantum sustentaretur, curiosus observata filia, animadvertit illam uberum suorum lacte matris famem lenire. Quare tam admirabilis spectaculi novitas ab ipso ad triumphum, a triumpho ad praetorem, a praetore ad iudices percellata, remissionem poenae mollii imperavit. Quo ergo non penetrat, aut quid non excogitata pietas, quae in carcere, servandae gentricis omni cibo destituta, novam rationem invenit? quod enim tam inusitatum, quod tam inauditum, quam matrem uberibus natae aliam? putaret aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentes quod si cuter matris vitam sua pietate produxit, id prope ubere illam lactans, et nutriens, filia Deo ex sua liberalitate vitam huius filiae in praemium eximiae illius pietatis in longum tempus prolongavit, implens in hoc quod olim (*Exod. 20*) pollicitus fuerat: *Honora patrem tuam, et matrem tuam, ut sis longaevis super terram: et (Ecclesiast. 3): Qui honorat patrem suum, vitam viveat longiorem. Quod si quispiam inquirat, quare longitudo vitae promittitur in praemium pietatis, et honoris parentibus exhibiti? respondet s. Thomas (2. 2. quaest. 121. a. 3), quia gratius fuit beneficio vitae, ideo promittitur sibi longaevis vitae. Et contra vero filii discoli inhoronantes parentem gravissimo mortis supplicio puniuntur (*Exod. 21*): *Vivit Deus; qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. In cuius rei confirmationem non possum non hoc loco referre praecula multa, quae b. Petrus Damianus Ecclesiae sanctae cardinalis scripsit (l. 8. Epistolatum epist. 3), in qua carpit primum quandam nobilem virum, qui debitum honorem matri non exhibebat; dein-***

de narrat, ut illum ab ea impietate deterret, insigne exemplum, quod Summus Pontifex Alexander secundus huius nominis sibi commemoraverat: praeclara eius, alique erudita verba sunt haec: *Significatum est mihi, nobilissima vir, quia sanctam matrem tuam uxoris amore despicias, et contemnis, nullaque sibi domini ius in domestica rei familiaris ordinatione concedis. In quo scilicet facto, quid aliud, quam naturam ignis cerneris imitari? qui cum ex lignis prodeat, ligna consumit, et in cinerem vertit; lapidem autem excoquit, et candidos reddidit: ligna nempe, ex quibus egreditur, quasi matrem nascendo consumit, lapides autem, a quibus exlinguitur ad exhibendam calcis albedinem, candidos facit. Cum igitur ignis in lignis ardeat, lapides coquat, contrarios habet in non contrarios rebus effectus: nam etsi lapides, et ligna diversa sint, contraria non sunt, sicut album, et nigrum, quorum in lapidibus unum facit, alterum in lignis, clarus albedinem, haec offuscans; cum in illis omnino deficeret, nisi in istis iuueret. Unde bene vir sapiens ait: honora patrem tuum, et genitum matris tuae non obliuiscaris. Perpende igitur, quantas crudelitatis sit, illos despiciendo contemnere, per quos habes et ipsum esse, quanta te, dignum sit, genitoribus tuis humilitate submitti, quibus et naturalis essentiae substantiam debes, et quod ab illis te non ambigis puerum percepisse, quantopere debas nunc grata vice senibus reddere? Unde scriptum est: fili, suscipe senectam patris tui, et ne contristes eum in uita illius, et, si defecerit sensus, ueniam da, et ne spernas eum in tua uirtute. Sed forte dices: Mater mea me frequenter exasperat duxis uerbis: meum, et uxoris meae corda perturbat, non possumus tot iniuriarum probra perferre, non ualeamus austeritatis eius, et securae correptionis molestias tolerare. Sed in hoc tibi copiosior merces acquiritur, si, dum contumeliam suscipis, gratiam reddis, et dum conuiciorum sale conspergeris, humilitate blandiris. Hinc enim scriptum est: elemosyna patris non erit in oblivione, nam pro peccato matris restituetur tibi bona fama. Cum igitur pro peccato matris bonum restituitur, cur saeciens, vel iniuste delinquens non aequanimiter perferatur. Terribile certe est, quod Scriptura dicit: quam malae fama est, qui relinquit patrem, et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem. Porro qui parentes inhonorat, quoniam dicuntur abdicari, numquid non et in hac uita confunditur? Sed audi Scripturam? gloria, inquit, hominis ex honore patris sui, et doteus filii, pater sine honore. Sed dum ueterum congerimus testimonia Scripturarum, etiam noti casus apponerent grauemur exemplum, ut saltem ostensa diuinae iustitiae uindicta perterreat, quos mandatorum coelestium uincula non refranant. Pridie nempe, post uesperam, ex ore ipsius Alexandri uenerabilis Papae, me contigit audire quod refero: Ardeuius, inquit, quidam Mediolanensis urbis indigena, dum, uoxore ducta, celebraret nuptiale conuiuium conuestus est opiparum conspersum epulis defecisse pygmentum: cumque huius rei calumniam sponsus in matrem non sine*

quodam iurgii tumore deuotceret, et cur hanc pareretur inopiam iratus, et contumax inquisisset; mater autem se sufficienter exhibuisse ministris hanc speciem e contrario responderet, ille tandem iracundiae folle permatos, manus inferre non timuit, eique proteruus, ac furiose uascaniens, alapam irreuerenter incussit. Sed o diuina iustitia, iracundiam nostram uindicans, sed non irata; in parentis animi rabiem sentiens, sed quiesca; uolens impazatas mentis insaniam, sed tranquilla? Unde Salomon: Tu autem, inquit, dominator uirtutis, cum tranquillitate iudicas, et cum magna reuerentia disponis nos. Eandem sane percussoris maxillam, hoc est, sinistram, repente languor inuasit, eumque nimis exare doloribus coepit. Cumque languor in dies perniciosus ingravesceret, acerrimis dolorum stimulis intolerabiliter fatigaret, mugitibus, ac stridoribus euolare compelleret: tandem mater, quae priguam senerat in percussura, recognouit filium in natura, et non duritiam, ut illos meruerat, nocerulae, sed maternorum exhibet uiscerum pietatem. Iam, nempe tumescentis mandibulas uero turpiter compuruerat, iam uirus, ac sanies per concavam uulneris fistulam distillabat. Cumque misere hominem hinc inde percelleret, et exhalantis corruptela putredinis, et intimi uis doloris, poenitebat conuulsi, et alterum forte uirum iam metuebat uoxori, et quam cernebat nociter nuptiam, iam quodammodo, quasi biviram deputabat. Mater itaque periclitanti filio non iustitiae rationem reddens, sed religiosa potius pietate compatiens, ad Ecclesiam b. Nazarii martyris properat, accumulata uota, offert munera, pavimento prosternitur, orat, obsecrat, anhelat, ac delinquenti filio ueniam lacrymabiliter flagitat. Maternis interea precibus adest diuina misericordia, et quam ut pro laedente deposceret, inspirauit, etiam et aegrotantem propitiaturus exigeret exaudiecit paulo post, denique solutis, ac putrefactis undique carnibus, os de mandibula cecidit, ac protinus omni dolore fugato cecitrix occularuit; sicque iam desperatum hominem incolumitati pristinae diuina pietas reparauit. Hoc itaque modo in unius hominis facie, et diuinae misericordiae character exprimitur, et humanae culpae signaculum relinetur; ut, dum excessata facies cernitur, et sanata, euidenter cluacat, et quod filii saecientis immeruit, et quid ei apud aures diuinae clementiae materna pietas impetrauit. Haec igitur, te, uir clarissime, diuina uirtus admonet: haec proslitens in matrem plaga perterreat; et non modo te, sed et serenissimam uoxorem tuam a sacerina prorsus offensione compescat, quatenus, dum honoras parentem, quod est primum in promissione mandatum, transmissio quandoque deserto, cum his, qui ueri sunt Israelitae, terram merearis intrare uicentium; hactenus card. Damianus.

Huic addere placet, quod Caesarius ordinis Cisterciensis (l.6. histor. memor.) narrat. Cum iuuenis quidam saecularis nomine Henricus matrem simplicem, uerbis quidem mellitis, sed intentione uenenata, tali modo circumuenit. Mater, inquit, peto, ut omnibus tuis bonis, fundis scilicet, et allodiis, solemniter renun-

cies, et me illa suscipere sinas, ut sic eorum gratia uxorem ducere ualeam honestiorem: omnia mea tua sunt, et ego tibi honestius providebo. Mater in filio serpentis astutias non obseruans, petitionibus eius annuit, omnium suorum usufructu resignato, immemor dicti Sapientis (Ecc. 33): *Melius est ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum.* Quid plura? sponsa introducitur, et mater expellitur: quae cum egeret, et quotidie plangeret, ille obturauit aures, ne gemitus matris audiret. Die quadam cum uxore in mensa sedens, et ostium pulsantis uocem matris intelligens, ait: *Ecce iterum diabolus clamat tibi: dixitque puero suo: Vade, et pone pullum istum in cistam, donec recedat. Quod cum factum fuisset, et illa intromissa, dum filio supplicasset, ut sui misereretur, cum multo uerborum turbine expulsa est. Tunc ille ad puerum; Refer, inquit, nobis pullum. Puer uero, ut cistam aperuit, non in scutella pullum, sed serpentem complicatum conspexit, qui territus, rediens quid uiderit, domino reseruntiauit. Post quem missa ancilla, dixit se*

similia uidisse. Ille sibi putans illud, ait cum indignatione; etiam si diabolus fuerit, ego tollam eum. Et surgens de mensa, mox ut se in cistam ad leuandam scutillam inclinauit, serpens collo eius insiliens, ut uitium dupliciatis congrue puniret, circa eius guttur se colligendo duplicauit: cum comedenti comedit, et quoties ei subtraheretur cibaria, uel adhibebantur aliqua, quibus depomni deberet, instrumenta, ita collum hominis strinxit, ut intumescere facie, oculi de sedibus suis mouerentur. Merito autem uidetur mihi punius per serpentem, quia sicut diabolus per serpentem Euan decepit, ita per istum mulierem simplicem circumuenit; additque Caesarius haec: *Tredecim anni sunt elapsi, plus minus, ex quo ista contigerunt. Nam ductus est idem Henricus in curruca per prociariam nostram, ad diuersa sanctorum limina, et uiderunt eum multi, quem praedicta mater poenae eius compatiens materno affectu sequebatur: deprecans quidem Deum, ut tanto malo mederetur. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*